


Heinrich Schuckmann    Johann Adolph Barkhausen

## **Disputatio Inauguralis De Actionibus**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732586127>

Druck    Freier  Zugang




(Rechts-) Handlungen

Next.

H. Schuchmann (J. A. Barckhaus)

R. U. in 1648.



DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
ACTIONIBUS,

*Quam*

AUXILIANTE DEO,

Ex Auctoritate & decreto Nobilissimi ac Amplissimi Jctorum  
Ordinis in illustri Academia  
Rostochienfi,

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo, Consultissimo ac Excellentissimo*

DN. HEINRICO Schuckman/  
Jcto Celeberrimo, Professore Codicis  
publ. & p.t. Facultatis Juridicæ VICE-DECANO  
spectabili, Dn. promotore ac patrono suo ævi-  
ternum honorando,

Pro summis in Utroq; Jure Privilegiis  
& Honoribus Doctoralibus consequendis,

*Publicè examinandam proponis*

JOHAN. ADOLPH. Barckhausen/  
Hervordiâ. Westph.

*Ad diem 3. Augusti, in Auditorio Majori, horis  
matutinis & pomeridianis.*


---

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typegr. Anno 1648.

ACTIO NIBUS






Quod felix faustumq; esse Jehova  
velit,

DISPUTATIO INAUGURALIS,

De

ACTIONIBUS.

THESIS I.



Actio licet in jure nostro pluribus modis sumatur: Rectius tamen in hac nostrâ disputatione pro Jure persequendi accipitur. Unde ab imperatore Actio definitur jus persequendi in iudicio quod sibi debetur *pr. Inst. de Actio. l. si. ff. de O. & A.*

II.

Ex voce Judicium sciendum, nemini licere privatim sibi judicare, & propriâ auctoritate id quod suum est occupare, sed Jure experiendum esse, adeò quod ex Edicto D. Marci ille, qui rem vel pecuniam Jure sibi debitam vi quodam extorserit, Jus crediti amittat *l. 13. ff. quod met. caus.*

III.

Omnium autem actionum prima ac summa divisio in duo genera deducitur; autem in rem sunt, aut in personam *§. 1. Inst. de Act. l. 25. ff. de O. & A.* Actio in personam est, quâ cum eo agitur, qui nobis vel ex contractu, vel ex quasi contractu, vel ex maleficio, vel quasi maleficio obligatus est, ad aliquid dandum vel faciendum *d. §. 1. Inst. de Act. & d. l. 25. ff. de O. & A.* Actio in rem est, per quam rem nostram quæ ab alio possidetur, petimus, & semper adversus eum est, qui possidet *d. l. 25. ff. de O. & A.*

IV.

Actio in rem dividitur in Civilem & Prætoriam. Civilis est, quæ ex LL. plebiscitis, Sctis; principum placitis, prudentum responsis descendit;

A 2

scen;

scendit, §. 3. *Inst. de J. N. G. & C.* Et rursus vel pro universitate rerum competit, vel pro rebus singulis: pro universitate rerum Jure civili competit hereditatis petitio, quæ est actio in rem l. 25. §. 18. ff. *de hered. pet.* l. 27. §. 3. ff. *de R. V.* competens heredi, quæ is contra eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet l. 9. ff. *de hered. pet.* se heredem declarari, & proinde hereditatem sibi ab eodem restitui petit. Nam qui titulo quodam singulari res hereditarias possidet, in eum actio hæc non datur l. 7. C. *cod.* Petuntur hæc actione non tantum hereditariæ, sed & non hereditariæ, quatenus periculo hereditatis obligantur: cujusmodi sunt res depositæ, commodatæ vel pignoratæ, quoniam harum etiam periculum ad heredem spectat l. 18. §. fin. l. 19. ff. *d. s.* exceptis tamen servitutibus d. l. 19. §. *ult. cod.*

V.

Actio in rem singularis est, vel rei corporalis, quæ rei vindicatio in specie, vel incorporalis, quæ actio confessoria & Negatoria dicitur. Rei vindicatio est actio in rem singularis, competens domino, quæ rem aliquam corporalem ab alio possessam sibi officio judicis cû omni causa restitui petit §. 1. *Inst. de act.* Duo sunt hujus actionis requisita, ex parte actoris dominium l. 23. ff. *de R. V.* Non autem allegasse dominium sufficit, sed insimul est probandum; alias reus & si nihil fecerit absolvitur l. 4. C. *de edend.* Ex parte Rei possessio; quæ tamen non propriè & strictè, sed latius accipi debet, ut per possessorem etiam nudus detentator intelligatur l. 9. ff. *R. V.*

VI.

Confessoria est actio civilis realis, quæ confitendo & adferendo adferimus, servitutum vel Jus aliquod nobis, fundove nostro deberi §. 2. *Inst. de act.* l. 2. ff. *si serv. vindicet.* Hæc autem actio nulli alij quam domino fundi competit l. 2. §. 1. ff. *si serv. vind.* non verò usufructuario l. 1. pr. l. 5. §. 1. ff. *si ususf. petat.*

VII.

Negatoria est actio realis, quæ nos vel rem nostram adversario vel fundo ejus servitutum vel aliud Jus debere negamus, & per hoc libertatem vindicamus l. 2. pr. ff. *si serv. vind.* l. 4. §. 7. ff. *cod.* Dantur autem hæc actiones de aliis etiam juribus, quam servitutibus arg. l. 9. §. 2. ff. *de damn. infect.*

VIII.

Actiones in rem prætorias sunt, quæ Prætor ex sua jurisdictione comparatas habet §. 3. *Inst. de act.* harum prima est Actio Publiciana, quæ

quâ is, qui rem à non domino bona fide & iusto titulo per traditionem accepit, nec dum tamen usucepit, eandem amissam à quocunq; possessore sibi restitui petit §. 4. *Inst. de Act. l. 1. ff. de publici. in rem act.* Conceditur autem hæc actio ob difficilem dominij probationem sub qualitate bonæ fidei possessoris etiam vero domino, imò etiam eodem libello publiciana cum Rei vindicatione proponi, resq; Jure dominij vel quasi possessore repeti potest *Abbate. 3. in pr. de sent. & rejud in 6. Gail 1. obs. 62. n. 5. Oldendorp. cl. 3. act. 3. adversus ipsum dominum verò non datur l. pen. & ult. de publ. in rem act.* quibusdam tamen casibus exceptis, quos refert Oldendorp. *class 3. act. 3.*

#### IX.

Secunda actio in rem prætoriam est Rescissoria, quæ competit ei, cujus res verè usucapta est, ad rem, quasi nunquam usucapta fuisset, à possessore avocandam §. *rursus 5. Inst. de act. l. ult. C. Ex quibus caus. maj.* Et datur tam absentem contra præsentem, quam præsentem contra absentem *rot tit. ff. Ex quib. causis major. Schneidew. ad § 5. Inst. de Act. n. 24.* Ex solo verò capite ignorantie restitutio adversus præscriptionem non datur *l. ult. in fin. C. de præscript. long. temp.* Circa negotium ex causa rescindendum, duplici Judicio Rescindente & Rescissorio non est opus, sed unicum saltem est Rescissorium *l. 6. §. 1. ff. de bon. poss. l. 19. in fin. ff. de Inoff. test. l. 2 § pen. ff. eod.* Erat autem olim actio Rescissoria annuo spatio circumscripta, sed hodie præstitutum habet quadriennium *l. fin. C. de tempor. in integ. rest.*

#### X

Tertia actio in rem prætoriam est Pauliana, quâ creditores res in fraudem illorum à debitore alienatas, rescissâ traditione, ab eo qui accepit, repetunt §. 6. *Inst. de Act. l. 1. C. 1. t. ff. qua in fraud. cred.* Cum autem hæc actio tendat ad rem debitoris vindicandam, etiam contra eum qui fraudis non fuit particeps, & ex titulo lucrativo rem possedit, competit.

#### XI.

Præter Publicianam, Rescissoriam, & Paulianam, reperiuntur duæ alia in rem actiones, quæ & ipsæ ex prætoris Jurisdictione descendunt, nimirum Serviana & quasi Serviana, quæ etiam hypothecaria vocatur. Serviana actio est, quâ locator experitur de rebus coloni, quæ pignoris Jure pro mercedibus fundi tenentur §. 7. *Inst. de Act.* In vecta namq; ab æquilino in prædium urbanum locatori tacitè pignori sunt obligata



*l. 4. in princ. ff. de pact. l. 4. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac.* Diversū obtinet in investis illatis in prædium rusticum *l. 4. ff. d. s.* quæ non nisi expressâ conventionē oppignorata censentur *l. 5. C. eod.* quia in prædiis rusticis fructus locatori tacitè pro pensione sunt obligati *l. 7. ff. d. s.*

XII.

Quasi Serviana seu hypothecaria actio est, quæ creditori ex quavis causa pignus hypothecamve habenti ad ejus pignoris hypothecave persecutionem conceditur *d. s. 7. Inst. de Act. l. 17. ff. de pign. & hypoth.* Ab hac actione differt actio pignoratitia personalis, quæ datur debitori adversus creditorem ad pignoris, factâ solutione, restitutionem, de quâ agitur *in tit. ff. de pign. act.*

XIII.

Sunt & aliæ in rem actiones quæ præjudicales vocantur, à præjudicando dictæ, quod scilicet aliis actionibus præjudicium parient, earumq; processum tardent & sistant *arg. rub. ff. de Except. & præjud.* quæ partim civiles sunt, ut ea, quæ est de statu libertatis, quâ quæritur; an quis liber vel servus sit, partim prætoriarum, veluti ea, quæ est de Jure Patronatus, quâ quæritur; an quis libertus an ingenuus sit, item de partu agnoscendo, quâ quæritur; utrum aliquis sit filius nec ne *§. 13. Inst. de Act.*

XIV.

Porrò Prætor non tantum in rem, sed & in personam agentibus Jurisdictione sua succurrit. Quarum prima est actio de constituta pecunia, quâ convenitur is, qui vel ipse pro se, vel pro alio citra stipulationem se soluturum constituit *§. 9. Inst. de Act.* Debitum autem ex quacunq; causa, id est ex quocunq; alio contractu, constitui potest *l. 1. §. 6. 7. ff. de constit. pecun.*

XV.

Constitutum novationem non inducit, sed obligationem, cui accedit, sartam relinquit, ita ut is, pro quo alius constituit adhuc maneat obligatus *l. 28. ff. de pecun. constit.* Hinc constituenti beneficium ordinis & excussionis, item divisionis est tributum, *l. ult. C. de constit. pecun. autb. præsent. C. de fidejuss. Nov. 4. c. 1.*

XVI.

Secunda actio in personam prætoris est de peculio, quâ petimus à patre, vel domino, ut solvat pro filio vel servo nobis ex contractu in peculiari obligato, quatenus vires peculii patiuntur. *§. 10. Inst. de Act. l. 7. §. 1. ff. de pecul.* Hæc actio non nisi in profectio filii familias peculio

lio locum habet, quod pater filio ex substantia eius ipso sciente & permit-  
tente concessit, §. 2. *Inst. per quas pers. nob. acq.* Ex Castrensi enim pecu-  
lio filius ipse tenetur in solidum l. 2. ff. *ad S. Maced.* Ex adventitio verò  
convenitur pater ut legitimus solum administrator, l. 1. C. *de bon. ma-*  
*ter.*

XVII.

Tertia actio in factum prætoriam personalis est actio ex Jurejurando,  
competens ei, qui juravit, sibi deberi, vel rem suam esse, adversus eum  
contra quem juratum est: quâ quis ex juramento legitimè præstito id  
quod sibi deberetur, adjudicari petit, §. 11. *Inst. de Act.* In hac autem actio-  
ne sufficit juratum esse; non enim quæritur an ei pecunia debeatur, sed an  
juraverit, d. §. 11. *Inst. de Act.* unde negotium isto juramento decisum, per-  
jurii prætextu non retractatur, l. 1. C. *de reb. cred. l. 31. ff. de Jurejurand.*

XVIII.

Actionibus porrò prætoriiis personalibus accensentur Prætoriaræ pæ-  
nales, quæ & ipse personales sunt. Quarum prima est albi corrupti actio,  
quæ datur in eum, qui album prætoris perpetuæ Jurisdictionis causa pro-  
positum dolo malo corruptit l. 7. ff. *de Jurid.* Actio autem hæc popula-  
ris est & pæna, ad quam intenditur, parti agenti applicanda videtur l. 12.  
ff. *de V. S.*

XIX.

Secunda actio prætoriam pænalis est constituta in temerè ac contra  
leges, privilegiatas personas in Jus vocantem. Cum enim antiquitus pro-  
pria auctoritate licuerit in Jus vocare, rapere, trahere, id verò reverentiæ  
parentibus & patronis venerabilibus debitæ contrarium videretur, arg.  
l. 9. ff. *de obseq. patro. & parent. prest. l. 13. ff. de in Jus vocand.* ideo Edicto  
cautum est, ne cui hujusmodi personas exemptas sine venia in Jus sub  
pœna 50. aureorum vocare liceat l. 4. l. *penult. & ult. ff. d. 1.*

XX.

Tertia pænalis prætoriam personalis actio est, quæ datur contra eum  
qui legitimè in Jus vocatum vi exemerit, nihil autem refert, utrum dolo  
malo, an sine dolo exemerit, si modo fecerit violenter, §. 12. *Inst. de Act.*  
l. 3. §. *final. ff. Ne. qui eum qui in Jus Voca. VI. exim.*

XXI.

Actiones personales conditiones appellantur, à condicen-  
do h. e. denunciando, §. 15. *Inst. de Act.* Olim enim moris erat, ut actor  
reò diem certum condiceret i. e. denunciaret, quo in Jus veniendum esset,  
l. 1. ff. *qui satud. cog.* Sed istæ solennes ad Judicium denunciationses sive  
conditiones hodiè in desuetudinem abièrunt §. 15. *Inst. de Act. l. fin. C. de*  
*Inserd,*

XXII. Con-

## XXII.

Conditionum species variæ sunt, quas hoc loco omnes recensere & explicare instituti nostri ratio non patitur. Eas tantum conditiones quas Justinian. *inst. de Ac.* refert, videbimus.

## XXIII.

Sunt autem Conditiones, quibus actor intendit sibi dari oportere *d. §. 15. Inst. h. t.* Ideò Dominis, utpotè quibus res propria dari nequit, non competit, *l. fin. ff. usus f. quom. cau.* singulare tamen est in conditione furtiva, quæ etiam domino adversus furem ejusq; heredes in solidum datur *l. 7. §. fin. l. 9. ff. de condic. furtiv.*

## XXIV.

Dividuntur deindè actiones in Rei persecutorias, Pænales, & mixtas *§. 16. Inst. de Ac.* Rei persecutoriæ sunt omnes in rem actiones, item actiones personales ex contractibus venientes, quarum species complures sunt, inter alias est Condictio Certi, quæ datur creditori ad rem mutuo datam, in eadem quantitate & eodem genere recuperandam, *§. 2. Inst. quib. mod. re contrab. obl.*

## XXV.

Succedit huic Condiçioni alia eidem affinis, nimirum actio ex stipulatu, quæ datur propriè ad rem incertam, vel factum præstandum *pr. Inst. de V. O.* In facti stipulationibus promissor præcisè ad facti præstationem non obligatur, sed si mavult interesse præstare, liberatur *l. 13. §. fin. ff. de Re Jud. l. 72. ff. de V. O.* At cum interesse probatio difficilis sit, ideo Imperat: *in §. fin. Inst. de V. O.* suadet in talibus stipulationibus pænam adijcere.

## XXVI.

Ex commodato oritur actio commodati, quæ vel directa, vel contraria est. Directa datur commodanti adversus commodatarium, ad restituendam rem, & ad præstandum dolum, cum omni culpa *l. 5. §. 2. l. 12. ff. commod.* Contraria datur commodatario adversus commodantem, ad repetendum quod sibi ex commodato abest *l. in commodato 17. §. 1. ff. de tit.*

## XXVII.

Actio depositi, itidem vel directa est vel contraria. Directa datur deponenti adversus depositarium ad rem bona fide restituendam, & præstandum dolum, *§. 3. Inst. quib. mod. re cont. obl. l. 23. ff. de R. J. & latam.*

latam culpam. l. 32. ff. *depos.* Contraria datur depositario de sumptibus & impensis in rem depositam factis, l. 23. ff. *depos.*

XXVIII.

Est & Prætoria actio depositi, quam prætor adversus eum introduxit, qui tempore incendii, ruinæ, & naufragii subduxit, corruptit vel alienavit, ad coercendam insignem hominum ex proximi damno lucrum captantium perfidiam, l. 1. ff. *depos.* Hæc actio hoc habet singulare, quod ex Edicto Prætoris in duplum sit extensa, §. 17. *Inst. de Act.* l. 1. §. 4. ff. *depos.* Itidem peculiare est in hæc actione, quod in heredem non detur, nisi quatenus is de proprio dolo convenitur, d. §. 17. *Inst. de Act.* l. 1. §. 1 ff. *depos.*

XXIX.

Succedit actio mandati directa & contraria, illa datur mandanti contra mandatarium, ut mandatum exequatur l. 22. §. ult. ff. *mand.* item ad præstandum dolum cum omni culpa etiam levissima, l. 13. l. 21. C. *mand.* Contraria competit vicissim mandatario, adversus mandantem, ad recuperandum id, quod ex causa mandati ipsi abest. v. c. impensas l. 4. C. d. t. Nonnunquam & honorarium pacto sc. promissum eadem actione peti potest, l. 6. pr. ff. d. t.

XXX.

Ex Contractu societatis, oritur Actio pro socio t. s. ff. C. *pro socio*, utriusque directa, §. 2. *Inst. de pen. rem. litig.* daturque socio contra socium ad lucrum communicandum l. 67. ff. *pro socio*, & ad resarciendum damnum, dolo aut levi culpa datum, l. 52. §. 2. C. 3. *ead.*

XXXI.

Ex contractu Emptionis & venditionis duplex oritur Actio Empti & venditi: utraque directa, illa datur emptori adversus venditorem, ad rem cum fructibus & omni suâ causa tradendam, l. 13. C. *de act. empt.* Venditor autem præcisè rem venditam si facultatem tradendi habet, tradere tenetur, nec præstando interesse, invito emptore, liberatur, l. 11 §. 2. l. 50. ff. *de act. empt.* l. 8. ff. *de evict.* Weseimb. *in parat.* ff. *de act. empt.* n. 4. Arumæ. *exerc.* *Inst.* 14. th. 2.

XXXII.

Actio venditi datur vicissim venditori in emptorem, ad pretium rei venditæ sibi dandum, l. 13. §. 20. l. 11. §. 2 ff. *de act. empt.* & ad consequenda omnia, quæ ipsi ab emptore præstari oportet, d. l. 13. §. 19 ff. *ead.*

## XXXIII.

Ex contractu Locationis & Conductionis nascitur actio Locati & Conducti: Actio Locati datur Locatori contra conductorem ejusve heredem, §. *fin. Inst. de Locat. l. 19. §. 3. ff. eod.* ut mercedem justo tempore promissam, *l. 14 pr. ff. Locat. l. 41 ff. de V. O. l. 34. ff. de R. J. Schreidew. ad §. 38. Inst. de act. in act. locat. n. 24. & seqq.* cum usuris, si in mora fuit, *l. 17. C. eod.* solvat, rem locatam finito usu (nisi ante expletum tempus restitutio fieri debeat ex causis, quæ habentur *in l. 3 C. d. r.*) restituat, & damnum quod ipsius culpâ levi contigit, *arg. l. 5. §. 2. ff. commod. refarciat.* Ritterhus. *ad l. 23. ff. de R. I. c. 9. Sutholt. dissert. 15. Aphor. 48.*

## XXXIV.

Actio Conducti est, quæ datur conductori adversus locatorem, ut præstet facultatem re conductâ liberè utendi fruendi, *l. 9 pr. ff. Locat.* damna item quæ conductor passus est, *l. 19. §. 1. d. r.* refarciat, & impensas in rem conductam necessariò, utiliterve factas refundat, *l. 55. §. 1. l. 61. pr. ff. eod.*

## XXXV.

Porro pænales actiones ex delictis nascentes in merè pænales & mixtas dividuntur, illæ sunt, quæ meram pænam persequuntur, qualis est actio furti manifesti in quadruplum, non manifesti in duplum; Hæ una cum rei persecutione pænam continent, quales sunt vi bonorum raptorum, L. Aquiliæ & similes.

## XXXVI.

Occasione mixtarum actionum, sunt & aliæ actiones mixtam causam habentes, ut, Actiones familiæ erciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum §. 20. *Inst. de Act. Quæ duplici de causa mixtæ dicuntur, primò quod uterq; in iis Actor & reus sit. Unde & duplicia Judicia dicuntur, l. 44. §. 4. ff. fam. ercisc. l. 10. ff. fin. regund. Deinde quod partim in rem partim in personam esse videantur, d. §. 20. Inst. de Act. l. 1. ff. fin. reg. l. 20. §. 4. ff. fam. ercisc. Welemb. in parat. ff. fin. reg. n. 6.*

## XXXVII.

Prima harum actionum familiæ erciscundæ scil. datur in coheredes ad hereditatem dividendam. *l. 51. §. 1. ff. fam. ercisc.* Agens autem hæc actione, adversarium suum sibi coheredem esse fatetur, maximè,  
cum

eum non possit cum alio hoc familiae ereiscundæ iudicium institui,  
quam cum herede, l. 2. in pr. & §. 1. d. sit.

XXXVIII.

Secunda actio mixta communi dividendo, quæ competit iis,  
quibus quoq; modo licito res communis est, ut ea se dividatur, simulq;  
quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oporteat, præstetur, §. 20.  
*Inst. de Act. l. 3. l. 4. ff. comm. divid.* Invitus enim nemo in communio-  
ne manere compellitur, l. fin. C. commun. divid. l. 26. §. 4 ff. condit. indeb.

XXXIX.

Tertia actio mixta, est finium regundorum, quæ inter confines agro-  
rum seu rusticorum prædiorum l. 2. pr. l. 4. §. 10 ff. fin. reg. in hoc da-  
tur, ut limites vel commodâ divisione, vel mutua adjudicatione distin-  
guantur l. 2. §. 1. l. 3. & 4. ff. d. s. Est verò hæc actio perpetua & non  
nisi triginta annorum præscriptione tollitur. l. fin. C. fin. reg.

XL.

Tertiâ actionum divisione quantum actionibus persequamur,  
traditur, cujus ratione vel in simplum, vel in duplum, vel in triplum,  
vel in quadruplum concipiuntur, nec ulterius extenduntur, §. 21. *Inst. de*  
*Act.* Inter actiones quæ in duplum dantur, corrupti servi actio recense-  
tur, §. 26. *Inst. de Act. l. 1. in pr. ff. de serv. corrupt.* Quæ actio licet servi-  
tute abolitâ hodie à foro nostro recessisse videatur, tamen ad alias quo-  
que personas, quocunq; modo nobis subditas, utpote filios, filias, fa-  
mulos, ancillas, corruptos corruptasve utiliter extenditur, l. 14. §. 1. ff.  
*de serv. corrupt.*; ita tamen ut non ad duplum, sed ad operarum inter-  
ceptarum & damni dati æstimationem agatur, d. l. 14. §. 1. ff. d. s. Lin-  
deman. *disp. Inst. 19 tb. 101.* Harp. ad §. in duplum 23. *Inst. de Act. n. 5. & 6.*

XLI.

In triplum actio datur adversus Actorem, qui majorem vera æsti-  
matione quantitatem sportulis majoribus reum gravandi intentione  
libello inferuit, §. tripli. 24. *Inst. de Act.* Pro modo enim quantitatis pe-  
titæ, salaria seu mercedes viatoribus sive executoribus & apparito-  
ribus numerandæ erant, l. 33. §. executoribus 5. C. de Episc. & cler. l. ult.  
C. de fruct. & lit. expens. r. t. C. de sport. pana hæc tripli adversus acto-  
rem decernebatur malitiosè plus debito petentem. Viator etiam sive  
executor, si plus debito petat in quadruplum punitur §. quadrupli 25.  
*Inst. de Act.*

XLII.

Quarta actionum divisio, à qualitate & natura earum ducta hæc est: Actionum quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris, §. 28. *Inst. de Act.* Bonæ fidei sunt, in quibus Judici libera est potestas, æstimandi inter litigatores, quid alterum alteri ex bono & æquo præstare oporteat §. 30. *Inst. de Act.* §. *fin.* *Inst. de obl. ex conf. l. 7. ff. de negot. gest.* Stricti Juris actiones sunt, in quibus Judicis potestas est astricta ad id, quod inter contrahentes expressum, in Judicium nominatim deductum & formulæ insertum est *l. 99. l. 126. §. 2. in fin. ff. de V. O. d. l. 7. ff. de negot. gest. Sutholt. diff. 18. Aphor. 56. 57.*

XLIII.

Divisionis hujus variæ sunt differentiæ. In bonæ fidei namq; actionibus arbitrium Judicis liberum est. In stricti Juris actionibus ejus potestas certis formularum limitibus est circumscripta *d. l. 99 ff. de V. O. junct. l. 7. ff. de negot. gest.* In illis usuræ & fructus debentur à tempore moræ *l. 32. §. 2 ff. de usur. l. 17. §. 4. ff. eod.* In his fructus demum post litem contestatam debentur *l. 38. §. 7. ff. d. t. l. 4. §. 2. ff. fin. regund.* Verum usuræ ne post litem contestatam, sed dum demum si per stipulationem expressè fuerint promissæ *l. 1. C. de condit. indeb. l. 3. C. de usur. Sutholt. dissert. 18. aphor. 61.* In illis dolus dans causam contractui eundem ipso Jure reddit nullum *l. 7. pr. ff. de dol. mal. l. 16. §. 1. ff. de minorib. l. 3. §. fin. ff. pro soc. lu* his contractus quidem subsistit, sed per doli exceptionem petitio submovetur *l. 36. ff. de V. O. l. 9. C. de inutil. stipul. Goedd. de contrab. stipul. c. 30 n. 13. Schneidew, ad §. 28. Inst. de Act. n. 29.*

XLIV.

Quamvis autem formularum solennitas hodiè obsoleverit, divisio tamen hæc, adhuc illibata & incorrupta mansit: imò Jure Canonico differentia bonæ fidei & stricti Juris actionum subsistit. *c. cum venerabilibus extr. de Except. Bocerus ad l. contractus 23. ff. de R. J. c. 2. n. 4. Arumæ. Exercit. Justin. 18. sb. 15.*

XLV.

Actiones quæ bonæ fidei sunt, ex omnes ab Imp. in §. 28. *Inst. de Act.* enumerantur, reliquæ verò quæ inibi sunt ommissæ sunt stricti Juris. Donellus in tractat. de Act. ad §. 28. n. 33. 34. & 35. Actio quoq; ex stipulatu, quâ mulier dotem suam repetit est bonæ fidei,

fidei, §. 29. *Inst. de Act.* cui Justin. initiò quidem dedit hypothecam tacitam d. §. 29. *U. l. 29. C. de jur. dot.* deindè verò etiam Jus prælationis contra hypothecarios anteriores, quamvis expressam hypothecam habentes l. 12. C. *Qui pot. in pign.* Gail. 2. *obs.* 81. Myns. 4. *obs.* 13.

XLVI.

Indulgetur autem hoc privilegium conjuge defunctâ etiam liberis ejusdem d. l. 12. *in fin. C. qui pot. in pign.* Ad privilegium hocce requiritur dotem numeratam, non solum confessatam esse. d. l. 12. C. *ead.* Gail. 2. *obs.* 81. Habet enim in dote tantum hoc privilegium locum. In bonis autem paraphernalibus & donatione propter nuptias uxori Jus prælationis non competit l. *fin. C. de pact. conv. d. l. 12. in fin. C. qui pot. in pign.* Schneidw. ad §. 29. *fuerat. Inst. de Act. n. 60.* Gail. 2. *obs.* 92. n. 10.

XLVII.

In bonæ fidei judiciis Justinianus liberæ potestati ex æquo & bono judicandi effectum hunc adscribit, quod Judex compensationem, quæ est debiri & crediti inter se contributio l. 1. ff. *de compens.* admittere debeat. Cum enim bonæ fidei vel maximè conveniat, ut invicem in id, quod alterum alteri præstare oportet, condemnatio fiat, ideò judex non tantum quid actor petat, sed & quod is Reo convento debeat, meritò attendit, unde Exceptio compensationis in tantum ad judicis officium pertinet, ut etiamsi nec à parte opposita sit, tamen ejus ratio haberi debeat l. 7. §. 1. ff. *de compens.* Cum in stricti Juris actionibus judex exceptionem formula præscripta non comprehensam non attenderet, sed tantum ex rescripto Divi Marci Exceptio doli competeret l. 78. *pr. ff. de hered. inst. l. 22. ff. ad L. Falcid. l. 8. ff. de dol. mal. U. met. except. l. 173. §. ult. ff. de Reg. Jur.* Verum Justinianus omne hoc discrimen sustulit, voluitq; tam in stricti Juris, quam bonæ fidei actionibus, compensationem ipso Jure fieri §. 30. *Inst. de Act. l. fin. C. de compens.* Idq; locum habet in quavis actione d. l. *fin. C. de comp. d. §. 30. Inst. de Act. modo quantitas seu res fungibilis utrinq; debeatur l. 4. C. eod.* Aliàs enim speciei ad speciem, vel speciei ad quantitatem & contra, nulla admittitur compensatio. l. 5. *de impens. in res dot. fact. l. 18. ff. de pign. Act. l. 4. C. de comp.* Excipitur tamen actio depositi d. §. 30. *Inst. de Act. d. l. ult. C. de comp.* actio momenti d. l. *fin. C. §. ult. eod.* item commodati l. *fin. C. commod.*



## XLVIII.

Præter bonæ fidei & stricti Juris actiones sunt & arbitrariæ i. e. ab arbitrio Judicis pendentes, ex quibus scil. fit condemnatio officio Judicis §. 31. *Inst. de act.* Differunt hæ ab actionibus bonæ fidei, quia in iis condemnatio fit ex natura ipsius actionis, in arbitrariis verò ex solo & mero judicis arbitrio. Differunt item ab actionibus stricti juris, siquidem in iis condemnatio fit, secundum strictas contrahentium conventiones, nec in iis amplius quicquam additur vel natura actionis, ut in bonæ fidei Judiciis, vel officio Judicis ut in arbitrariis D. D. ad §. 31. *Inst. de act.* Et quia propriam habent naturam à bonæ fidei & stricti Juris actionibus diversam, ad neutram harum speciem per omnia referri possunt, quamvis inter actiones stricti Juris rectius referri videantur d. §. 31. *Inst. de Act. l. 3. §. 1. ff. de usur.*

## XLIX.

Actionibus sic propositis, maximè ad officium Judicis pertinet, ut sententiam certam, non dubiam vel obscuram ferat, sed quantitatem vel rem certam determinet & adjudicet §. 32. *Inst. de Act. l. 21. ff. de reb. cred. l. 13. §. 2. ff. de recept. qui arb. l. 1. ff. de re Judic. l. pen. & ult. C. de sentent. quæ sine cert. quant. l. 59. ff. de re Jud.* Nonnunquam tamen natura actionis ad genus vel universum magis, quam ad certam quantitatem vel speciem directa est, uti in petitione hereditatis & similibus; Ideò in talibus casibus judex quoq; non nisi generaliter condemnare, potest, si dem procedit si plures res disjunctim debeantur; Quo casu non potest judex ferre sententiam certam, ne in unam rem certam condemnando debitorem, adimat ei electionem, quam stipulatio & petitio actoris ei tribuit, ideò addit Justin. *in d. §. 32. quantum possibile est.* Sententiam etiam Judex libello conformem ferre debet, & ob id fatuus Judex, qui ultra petita condemnat, dicitur *l. fin. C. de fideicom. libere.*

## L.

Ad certitudinem prædictam in Judiciis observandam imprimis dispiciendum erat, ne Actores plus debito ullo modo peterent. Id verò facientes olim quidem causa penitus cadebant §. 37. *Inst. de Act.* Hodie plus tempore petentes ex Zenoniana constitutione *l. 1. C. de plus pet.* duplicatis induciis puniuntur §. 10. *Inst. de Except.*

## LI.

Tempore plus petitur; cum is, cui debetur in diem vel sub conditione, petit antequam dies veniat, vel conditio existat. Nam uterque & is, qui antediem, & is qui ante conditionis eventum petit præmaturre i. e. plus tempore petere videtur, *l. un. §. fin. ff. quand. dies usus.* Plus causa petit, qui alternativè debitum simpliciter petit, atque ita electionem promissoribus adimit, §. 34 *Inst. de Act. cap. 70. de R. l. in 6.*

## LII.

Si verò quis minus debito actione suâ comprehenderit, vel aliud pro alio intenderit, reliquum sine periculo exigit, §. 36. *Inst. de act.* Ex quo rectè concluditur libellum post litis contestationem licere emendare, corrigere §. *si quis aliud Inst. de Act.* non verò mutare, *auth. qui semel. C. quomod. & quand. Jud.*

## LIII.

Hactenus actum fuit de actionibus, quibus semper solidum & totum debitum consequimur; sunt tamen quædam actiones, quibus leges, suadente æquitate & ratione personarum, talem naturam & indolem induerunt, ut Rei ex iis condemnati non in solidum excutiantur, & Actores eo quod Rei condemnati facere possunt, vel quatenus in petulio est contenti esse cogantur, ut in actione de dote, pro socio & peculio & similibus, quod vulgò beneficium competentix vocatur.

## LIV.

In omnibus tamen hujusmodi actionibus reus manet obligatus ad hoc, ut si postea ad pinguiorem fortunam redierit, residuū debitum solvere eoque nomine cavere teneatur. *l. un §. 7. C. de Rei uxor. act. l. 63. §. 4. ff. pro socio.*

## LV.

Actio autem de peculio in patrem vel dominum tantum peculio tenus datur, §. 36. *Inst. de Act. l. 47. §. 2. ff. de pecul.*

## LVI.

Amor conjugalis marito beneficium dictum conciliat, imprimis si ab uxore dotis nomine conveniatur. §. 37. *Inst. de Act. l. 173. ff. de R. l.* Datur idem hoc beneficium marito etiam ex aliis causis convento *l. 20. ff. de re judic. Harp. ad §. 37. Inst. de Act. n. 2. Lindem. disp. Inst. 9. th. 146.* Competit quoque filiis *l. 18. ff. sol. matr. Schneid. ad §. 37. Inst. de Act. n. 9.* amò & socero ex dotis promissione convento *l. 17. ff. sol. matrim.*

57. So.

## L VII.

Socius etiam idem hoc beneficium habet, quia Societas est quædam fraternitatis species, quæ non patitur ita rigidè cum socio agi, & ultra quam facere potest urgeri *l. 63. ff. pro soc.* Liberalitatis quoque leges donatori competentia beneficium concedunt, & quidem plenius quam aliis. *l. 50. ff. de re jud.*

## L VIII.

Cessionarij quoque ex commiseratione hoc beneficio gaudent, postquam enim semel excussi ad cessionem admissi sunt, deinde ad meliorem perducti fortunam, eos de novo omnibus bonis denudari iniquum visum fuit; Ideo eorum ratio habenda fuit, ne conventi ultra id, quod facere possint, condemnarentur *l. 4. ff. de cess. bon. Nov. 135.*


## L IX.


Non tamen indistinctè omnibus debitoribus, decoctoribus & fraudatoribus hoc beneficium conceditur, sed tantum iis, qui fortunæ injuriâ bonis citra dolum lapsi sunt *arg. l. fin. S. fin. ff. qua in fraud. cred.* Sed quaeritur an beneficio cessionis renunciari possit? Quod negandum putamus. *Gail. de pac. publ. lib. 2. c. 2. n. 23.* Pluribus hæc Nobilissima Actio nū materia tractari debuisset sed Juridicæ Facultatis Academiæ statutum obstat. Ergo hîc filum abrumpo ac instituto finem pono.

Deo Uni & Trino, studiorum meorum Directori sit laus, honor & gratiarum actio in æternum.









LI.

petitur; cum is, cui debetur in diem vel sub con-  
quam dies veniat, vel conditio existat. Nam uterq;  
, & is qui ante conditionis eventum petit prematu-  
re petere videtur, *l. un. §. fin. ff. quand. dies usuf.*  
qui alternativè debitum simpliciter petit, atq; ita ele-  
tibus adimit, § 34 *Inst. de Act. cap. 70. de R. l. in 6.*

LII.

minus debito actione suâ comprehenderit, vel aliud  
, reliquum sine periculo exigit, § 36. *Inst. de act.*  
cluditur libellum post litis contestationem licere  
re §. *si quis aliud Inst. de Act.* non verò mutare, *auth.*  
*d. & quand. Jud.*

LIII.

um fuit de actionibus, quibus semper solidum & to-  
equimur; sunt tamen quaedam actiones, quibus le-  
ate & ratione personarum, talem naturam & indo-  
Rei ex iis condemnati non in solidum excutiantur,  
Rei condemnati facere possunt, vel quatenus in pe-  
se cogantur, ut in actione de dote, pro socio & per  
uod vulgò beneficium competentiz vocatur.

LIV.

amen hujusmodi actionibus reus manet obligatus  
ad pinguiorem fortunam redierit, residuū debitum  
e cavere teneatur. *l. un §. 7. C. de Rei uxor. act. l. 63.*

LV.

de peculio in patrem vel dominum tantum peculio.  
*ff. de Act. l. 47. §. 2. ff. de pecul.*

LVI.

lis marito beneficium dictum conciliat, imprimis  
mine conveniatur. §. 37. *Inst. de Act. l. 173. ff. de R. l.*  
beneficium marito etiam ex aliis causis convento *l. 20.*  
*p. ad §. 37. Inst. de Act. n. 2. Lindem. diff. Inst. 9. th. 146.*  
lis *l. 18. ff. sol. matr. Schneid. ad §. 37. Inst. de Act. n. 9.*  
oris promissione convento *l. 17. ff. sol. matrim.*

57. So.